



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

De amore Prælatorum. Cap. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

De laude Dei.

CAPVT V.

EM PER lauda Dominum Deum tuum, quia non solum dignus est laudari, sed & maior est omni laude. Lauda illum opere, lauda & ore. Optima est operis & vitæ laudatio, vt sicut cæli pulchritudine & claritate sua enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius, tot linguis, quot stellis annunciat firmamentum: ita & tu vitæ sanctitate, & morum integritate, Dominum tuum laudes, & alios qui te viderint, ad laudandum Dominum, & benignitatem eius magnificandam inuites. Sic luceat lux vitæ tuæ, & splendor conuersationis tuæ, coram hominibus, vt videntes opera tua bona, glorificent patrem tuum, qui in cælis est. Lauda illum & ore, ita scilicet vt laus eius semper in corde tuo inchoet, & iugiter in ore resonet. Et sicut beata Cæcilia semper Euangelium Christi gerebat in pectore, & nunquā à colloquijs diuinis & oratione vacabat: ita & tu semper Christi mysteria, & Dei tui attributa, & mirabiles perfectiones animo voluas, & oris laudibus efferas. Vniuersæ res create illum laudant, & opera eius mirabilia prædicant: tu vnus ex creaturis Dei ne otio torpeas, ne ab eius laudibus cesses.

De gratitudine erga Deum.

CAPVT VI.

GRATIAS Deo continuò age, & semper in gratiarum actione mane. Equum enim esset, vt qui omnibus momentis beneficia recipis, omnibus etiam, si fieri posset, pro eis immensas gratias responderes. Non est momentum, in quo non accipias à Deo esse, vitam, sensum & intelligentiam, & omnia alia bona rum naturalia, tū supernaturalia, quæ in te sunt. Si ergo quando ab aliquo homine actu beneficium recipis, statim illi gratias agis: ingratus eris Deo, si semper innumerabilia beneficia recipis, & non semper saltem desiderio illi gratiarum actione respondes. Gratias ages igitur pro rebus prosperis, quia tibi ad solatium datæ sunt; & pro aduersis, quia ad correctionem, & augmentum coronæ tuæ ordinatæ sunt. Gratias ages pro donis spiritualibus, quia animam dant; & pro temporalibus, quia corpus, animæ habitaculum, seruant. Gratias ages pro his, quæ tibi dantur, quia ad te pertinent, & pro his quæ proximis tribuuntur, quoniam ad fratres tuos, quibus charitate iunctus es, pertinere noscuntur. Semper cor tuum eructet verbum bonum gratiarum actionis, semper os tuum in quocumque successu Deo gratias resonet, vt dum pro continuis beneficijs gratias agis, te ad potiora recipienda disponas.

De Resignatione in voluntate Dei.

CAPVT VII.

ELINQUE in manibus Deitui tua, & te: committe & offer Deo te, & resigna te plenè in manibus eius, vt de te ac de rebus tuis faciat, vt placitum fuerit in oculis suis. Dic sæpe voce: Fiat voluntas tua. Et non mea voluntas, sed tua fiat; sed multo magis beneplacitum Domini tua amplectere voluntate. Nam sæpe ore dicimus, Fiat voluntas tua, & proposito ac desiderio voluntati Domini reluctamur, nos verbo offerimus,

A & opere retinemus; sermone donamus, & actione Deo sua volenti accipere, stultè resistimus. Tu non sic, sed scito quia tu non tuus, sed Dei es; tua non tua, sed Dei sunt; ne ergo aliena Domino repugnate contrectes, quia furti in die examinis argueris. Esto coram Domino vt tabula penitus munda, in qua possit ipse quidquid voluerit depingere. Esto vt lutum in manu figuli, vt te formet aut frangat, vt efformatum aut in sublimi loco, aut in imo constituat. Respice tua, vitam, salutem, honorem, consolationem, & reliqua quæ possederis, non vt propria, sed vt commodata, & esto paratus ea reddere ei, qui liberaliter commodauit. Ipse diligit te in infinitum, plus quam tu te. Debes ergo te in manu eius resignare, & paratum offerre, vt in tempore, & æternitate, quidquid voluerit, efficiat.

De amore Prælatorum.

CAPVT VIII.

HÆC, quæ dicta sunt, erga Deum: at erga Prælatos, septem etiam obseruabis. Primò, dilige illos in quibus multas diligendi rationes inuenies. Ipsi enim gerunt in terris vicem Dei, à quo omnis potestas & dominatio descendit, referuntque nobis Christum Iesum, quem in ipsis debes aspicere. Ipsi sunt patres, duces, pastores, magistri, consiliarij, & nullus ferè est, quem diligas, cuius munus non in Prælati inuenias. Sunt patres, qui nos paterno amore diligunt: Duces, qui verbo & exemplo in cælum ducunt; pastores, qui doctrina pascunt; magistri, qui ignorantiam nostram remouent: & consiliarij, qui in dubijs saniora proponunt. Ipsi sunt vigilantes, qui vigilat super nos, quasi rationem pro animabus nostris redditur. Ipsi sunt œconomi, qui alimenta, ac vestimenta, & cætera necessaria cum magna charitatis significatione ministrant, & non sine magna sollicitudine quærunt, vt ministrent. Ipsi denique sunt capita nostra, & nos quasi membra, à quibus periculosum est odio disungi, aut minima auersione separari. Si hæc in Prælati consideres, facillè magno amore eos amplecteris. Si verò (quod Deus à sanctis congregationibus auertat) Prælatum improbum sortitus fueris, in quem hæc proprietates non quadrent, non propterea est à dilectione cessandum, quia eo ipso quod Prælatus est, vicem Christi gerit, cuius autoritas in malo Prælato non deficit. Et satis est vt diligatur, quod Christum summe dilectum representet.

De Reuerentia erga Prælatos.

CAPVT IX.

EM PER Prælatos venerabis, & magno honore ac reuerentia prosequeris. Debetur namque reuerentia Prælationi, eo ipso quod dignitatem habet super alios, & participatio quædam est diuinæ potestatis, quam ille in quosdam contulit, vt contineant multitudines, & ad populorum aut congregationum vtilitatem gubernent. Hanc autem reuerentiam interiori exteriorisque præstabis. Interiori quidem, si Prælatos maiores agnoscas, si dignos honore iudices, si eis te animo ac voluntate submittas. Exteriori verò, si illis consueta signa reuerentiæ ac subiectionis exhibeas, si aperto capite, demissis oculis, demissa voce, & paucis verbis illos allo-